DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PNEUMONIA;
QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS PATTON,
HIBERNUS.
IN CLASSE REGIA CHIRURGUS.

Angusta est via quæ ad vitam ducit.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT OLIVER ET BOYD.
MDCCCXXVI.

JOSEPHO ROLLESTON, Armigero,

PER MULTOS ANNOS DECORI INSIGNI

CANCELLORUM FORI HIBERNICI,

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DEDICAT

FILIUS SORORIS SUÆ AMANTISSIMUS

AUCTOR.

JOANNI WEIR, M. D.

ET

GULIELMO BURNETT, M. D.

ARMIGERIS,

CURATORIBUS MEDICIS

CLASSIS REGIÆ,

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

PRO TESTIMONIO OBSERVANTIÆ ET CULTUS

PROPTER MODUM QUO

PRÆFECTIS MEDICIS NAUTICIS

CONSULUERUNT,

OFFERT

AUCTOR.

JACOBO WIGSTON, Armigero,

PRÆFECTO IN CLASSE BRITANNICA,

ET NUPER NAVIGIOLI REGII

SCOUT,

HOC TENTAMEN INAUGURALE,

UTPOTE PIGNUS ANIMI GRATI

OB AMICITIAM ET BENIGNITATEM,

OLIM SUB ILLO STIPENDIUM FACIENS,

ACCEPTAS,

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

HISTORIA MORBI.

Inflammatio pneumonica morbus est, qui temporibus quibusdam anni sæpissime accedit, et quia organa ab eo correpta summi sunt momenti, et ad vitam servandam prorsus necessaria, ut medicus historiam, causas, et rationem medendi morbi penitus intelligeret, oportet.

Cullenus celeberrimus inflammationem pulmonum modo sequente definivit. " Pyrexia,

dolor in quadam thoracis parte; respiratio difficilis, tussis." Duas species quoque hujus morbi memorat, easque sic definit.

Sp. I. "Pneumonia (peripneumonia) pulsu non semper duro, aliquando molli; dolore thoracis obtuso; respiratione perpetuò difficili, sæpe non nisi trunco corporis erecto exercenda; faciei tumidæ colore purpureo; tussi plerumque humidâ, sæpe cruenta."

Sp. II. "Pneumonia (pleuritis) pulsu duro; dolore, plerumque lateris, pungente, sub inspiratione præsertim aucto; decubitu in latus molesto; tussi dolentissimâ, initio siccâ, postea humidâ sæpe cruentâ"

Sedem accuratam morbi pro certo habere compertam, minime est in promptu. Quod ad curationem tamen pertinet hoc minime refert, quia differentia sitûs morbi symptomata haud multum diversa efficit, aliamve rationem medendi postulat. Inflammatio pneumonica num in substantia pulmonum, aut in pleura sita signis sequentibus, scilicet febre, respiratione difficili, inspiratione plena aucta, tussi, et dolore in quadam thoracis parte, facile dignoscitur.

Morbus stadio frigido, aut horrore, qui per spatium incertum perstat, cui tunc accedit pyrexia, plerumque adoritur; quamvis nonnunquam fit quod pulsus non multo frequentior sit solito; nec calor cutis augetur. Signis febrilibus, ex ipso initio, interdum adsunt tussis, dolor lateris, aliaque symptomata pneumonica: sæpe tamen febris, aliquot horas priusquam signa se produnt quæ indolem veram morbi demonstrant, formatur. Pulsus plerumque est plenus, validus, celer et durus, sed in paucis exemplis, præsertim morbo abeunte, debilis, mollis, et sæpe abnormis.

Difficultas respirandi semper adest, et respiratione plena imprimis vexat, cum quia pulmones dilatationem plenam non patiuntur, tum quia dilatatio hujusmodi partes inflammatione correptas tendendo, dolorem auget et extendit. Respirationis difficultas in alio quam altero corporis situ vehementior est. Cum æger jacet in latus affectum, spiritus imprimis est difficilis, quamvis contrarium subinde accidit. Æger in utrumvis latus sæpissime cubare nequit, et in

situ supino levamen tantum carpit: aliquando nisi capite et humeris elevatis, facile respirare non potest.

Tussis hunc morbum semper comitatur, quæ in stadiis primis sicca est, id est, expectorationis expers: sæpius tamen ab initio est humida, et sputa colore et spissitudine sunt varia, et sæpe sanguinea.

Dolor qui morbo adest, in partibus diversis thoracis, sed plerumque vel in latere dextro vel sinistro, sentitur; interdum situm quasi sub sterno, nunc inter humeros vel in dorso, habere videtur. Cum latus dolor occupat, circa partem mediam costæ sextæ vel septimæ, propius tamen sterno quam vertebris dorsi, sentitur. In junioribus sæpissime est acutus et pungens, sed in senioribus nonnunquam est hebes et obtusus, cum sensu ponderis et gravitatis, potius quam acutus. In una partê sola sedem fixam habet, sed ad partes diversas thoracis aliquando jaculat.

Conditio mutabilis symptomatum jam traditorum partem peculiarem viscerum thoracis hoc morbo correptam non insignit. Cadaveribus

sectis eorum utraque specie morbi mortuorum, Pleuram pulmonalem semper multum vitiatam esse patet. Hinc videretur, singulas species inflammatione pleuræ, quæ per hanc membranam, inde in structuram cellularem pulmonum serpit, incipere.

Ex supra dictis, morbum in duas species dividendi, saltem si discrimina inter has partem affectam intuendo quæramus, parum fundamenti existere videtur, quia inflammatio Pleuræ pulmonalis insignis, sine eadem ad substantiam cellularem pulmonum impertita, adesse nequit. Vocabulum pleuritis omnibus inflammationibus thoracis accurate tribueretur, et haud recte inflammationi soli in Pleura costali orienti impositum est. Nihil dubii existere potest, quin inflammatio hujus membranæ rarissime accedat, et morbus pleuram pulmones obtegentem initio fere occupet, omnia indicia quæ propria esse Pleuritidi veræ existimantur inducens.

Cum inflammatio Pleuræ pulmonalis aut costalis paulatim deorsum tendit, adeo ut membrana superficiem superiorem septi transversi

obducens ab ea afficiatur, morbus nomine Paraphrenitidis, quia signa peculiaria visus sardonici, delirii et affectuum convulsivorum inferre habetur, insignitur. E cadaveribus plurimis incisis, inflammationem gravem pleuræ superficiem superiorem Diaphragmatis obducentis, sine aliquibus signorum supra dictorum inductis existere, constat.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Causa frequentissima excitans inflammationis pneumonicæ frigus est corpori admotum, quod perspirationi obstat, præsertim si calor naturalis augetur, et foramina in superficie, tempore quo applicatur, aperiuntur. Frigus, rebus sic se habentibus, corpori humano admotum, exhalationem per cutem subito impedit, et sanguinem ad partes internas, imprimis pulmones, dum hæc organa ipsa ad actionem frigoris subjiciuntur, impellit. Hoc fit præcipue in regionibus septentrionalibus frigidis, præsertim tempore vernali, quo mutationes vicissim e calore ad

frigus quam quavis alia tempestate anni frequentiores fiunt. Alteræ causæ præterea ad hunc morbum inferendum, qualia sunt quæcunque organa spirandi impediunt vel nimis excitant, magnopere polleant.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Causæ quæ ad hunc morbum proclivitatem præbent, habitus sunt plenus corporis, imprimis si diathesis inflammatoria adest, quod plerumque fit in illis summa vi et vigore corporis præditis; temperamentum sanguineum, intemperantia, et quodcunque corpus et præcipue pulmones, debilitat.

Pneumonia omnibus ætatibus accedat, juniores raro occupat, sed adultos inter annum ætatis quadragesimum et sexagesimum, illosque temperamento robusto et plethorico præditos, frequentissime invadit.

DE MORBI TERMINATIONIBUS.

Pneumonia æque ac aliæ inflammationes, vel Resolutione, Suppuratione, vel Gangræna finiri potest, sed terminationem sibi peculiarem habet, effusionem scilicet portionis totius sanguinis massæ ruptura vasorum sanguinem vehentium, aut anastamosi, in membranam cellularem pulmonum, ubi materia effusa, vasa comprimendo et cellulas aereas implendo, suffocationem lethalem inducit : et hic fortasse modus est, quo Pneumonia lethalis evadat. Cadaveribus sectis eorum hoc morbo subito pereuntium, bronchias sanguine coagulato, interdum sero commisto, impletas, et totam substantiam cellularem pulmonum sanguine injectam, congeriem deformem prorsus constituentem, deprehendimus.

Ex cadaveribus incisis, copiam ingentem lymphæ coagulabilis e membrana inflammata effusæ, et in partibus diversis thoracis sitæ, nonnunquam viscidæ, et forma compacta membranosa præditæ, quoque invenimus. Hæc effusio,

adhæsionibus factis, modum quo duæ superficies connectuntur, semper constituere apparet. Hæc exudatio in fluido seroso vel aquoso in thorace pariter ac in pericardio detecto, interdum se exhibet.

Hic morbus sine aliqua evacuatione evidente comitante, in resolutionem raro desinit. Epistaxis, quæ morbum ad resolutionem fert, haud raro accidit. Dejectiones copiosæ biliosæ, haud secus ac urinæ emissiones profusæ, morbum ad finem faustum ducendi vi pollent. Hæ evacuationes resolutionem non sæpe prægrediuntur.

Indicium quod resolutionem frequentissime, significat, expectoratio est materiæ viscidæ subflavæ e pulmonibus, nonnunquam sanguinolentæ, et sine tussi gravi ejectæ. Resolutionem morbi interdum prægreditur perspiratio universa, quæ humores ad superficiem evocando, et circuitum sanguinis æqualem reddendo, congestionem internam levat, morbumque ad crisin faustam perducit.

Cum Pneumonia cum signis nec vehementissimis nec mitissimis sine remissione per multos dies perstiterit, et medicaminibus solitis non

cesserit, terminatio per suppurationem expectari potest. Hic finis ex numero dierum haud expectandus est, nam etiam post diem decimum morbus resolutione finitus est; eoque magis, si in progressu ejus, remissionem insignem subierit, iterumque vehementia solita redierit, resolutionem post multo longius spatium temporis elapsum, expectare liceat.

Si morbus ex die decimo quarto ad decimum septimum sine aliqua remissione insigni protractus fuerit, suppuratio expectetur, eoque certius, si nulla signa resolutionis prodierint, vel si expectoratio adfuerit, hac subito cessante, dum respiratio difficilior simul facta sit, et dolor lateris obtusior, parum dubii existat quin ad suppurationem aliquid progressûs sit: Effusionem quæ fundamenta jacit suppurationis secretam esse, cum æger situ recumbente non respirare potest, vel si in latere affecto facilius cubat, quoque concludendum est.

Suppurationem inceptam esse ægro rigoribus et horroribus laborante cognosci potest; eandem denotat conditio pulsûs qui mollior est et non adeo frequens, aliquando celerior et ple-

nior quam antea. Suppurationem factam esse judicari potest, dolore remittente, tussi et dyspnœa simul perstantibus vel auctis, marcore summo, debilitate, cum sensu fluidi in thorace fluctuantis, aliisque hydrothoracis indiciis.

Terminatio per Gangrænam multo rarior est opinione. Cum hæc adsit, cum fine per effusionem semper conjungitur, et symptomata hujus e signis illius non dignosci possunt.

DE DIAGNOSI.

Tres morbi sunt, quibuscum Pneumonia confundi potest, scilicet, Catarrhus Gravis, Rheumatismus in musculis intercostalibus situs, et Hepatitis Acuta.

Cum dolor vehemens adsit lateri cuivisve parti thoracis, et hic inspiratione plena imprimis auctus, et tussis, pulsusque plenus, validus, durus, et frequens comitantur, calor superficiei præter naturam magnus, urina rubra, vultus floridus, lingua sicca, cum aliis signis quæ excitationem vehementem vasculosam et inflamma-

toriam systematis demonstrant, morbum esse Pneumoniam manifestum est.

Contra, symptomata quæ Catarrhum Gravem indicant, difficultas sunt per nasum spirandi, cum muci distillatione ex apertura, sensus ponderis in fronte et dolor inter oculos movendum. His signis cito accedunt raucitas et molestia in parte superiore Tracheæ, et respiratio difficilis, quæ inspiratione plena ac in Pneumonia non augetur. Tussis comitatur morbum, initio sicca, dolores circa thoracem imprimis pectus efficiens. His indiciis præsentibus, appetitus imminuitur, aliquid sitis adoritur, calorque auctus; febris tamen mitis est, et remediis solitis brevi cedit.

Rheumatismus musculorum inter costas ex Pneumonia dolore cum æger dextrorsum vel sinistrorsum se movet, plurimum aucto, atque dolore interno, tussi, et expectoratione absentibus dignoscitur. Proclivitas doloris ad sedem mutandum, et aliarum partium affectus, diagnosin multo faciliorem efficient.

Morbus ultimus quicum Pneumonia confundi potest Hepatitis est acuta. Hoc malum

dolore in hypochondrio dextro sito et pressura aucto, cognoscitur. Sensus plenitudinis in parte affecta sentitur. Dolor ad claviculam et summum humeri lateris affecti jaculat, et inspirationibus plenis, ac in Pneumonia, non augetur. Dolor in latere sinistro cubando expertus est, et tussis, cum existit, est sicca et expectoratione expers.

DE PROGNOSI.

Prognosis conditionem præcipuorum symptomatum observando est instituenda. Cum Pneumonia igitur per aliquot dies perstiterit, et singulis sanguinis missionibus succedentibus tussim, dolorem lateris, et respirationem difficilem ab his sublevari, eadem saltem vehementia non redire invenimus ; si calor cutis simul paulatim ad modum quasi naturalem descendat, si cutis laxatur, et humor in superficiem erumpat, et præcipue si expectoratio libera sit et sine tussi, vel conamine vehemente ejecta, si lingua sit nitida, sitis naturalis, et frequentia pulsus minuta, finem faustum prædicere licet.

Contra, indicia infausta sunt Pyrexia Gravis, et excitatio vehemens febrilis. Periculum in hoc morbo præcipue imminet cum respiratio est difficilis; cum æger in unum tantum latus, vel neutrum, sed supinus solummodo, recumbere potest; cum etiam in hoc situ respiratio laboriosa et perdifficilis, et capite atque humeris elevatis tantum satis commode trahi possit; præterea facies tumida, labra colore subpurpureo, cum sudoribus partialibus circa caput, faciem et cervicem, pulsus irregularis, vires prostratæ, proclivitas ad delirium, signa sunt quæ periculum summum commonstrant.

Tussis frequens quæ dolorem lateris auget, indicium est morbi pertinacis. Natura expectoratione se liberare videtur. Tussis sicca igitur sine ullo sputo, pro signo infausto habenda est; dolor acutus lateris inspirationem multum impediens, signum semper est morbi vehementis, quamvis non multo plus periculi quam dolor obtusus cum respiratione difficillima denotat. Delirium, aut ad hoc proclivitas, indicium est infaustissimum.

Cum hic morbus morte finitur, in quibusdam

dierum primæ hebdomadæ, sæpissime e die tertio ad septimum, accidit. Hoc tempore mors fit frequentissime, quamvis nonnunquam multo serius occurrit.

DE RATIONE MEDENDI.

Ex supra dictis de sede morbi, terminationibus et signis febrilibus quæ ei plerumque adsunt; siquando auxiliis opus esse existimetur ad organa tam necessaria circuitui sanguinis et vitæ ipsi, inflammatione affecta sublevanda, hæc prompte, valide, et quamdiu Natura ipsa patitur, admovenda esse, et præ omnibus omne remedium quod experientia maxime pollere ad malum superandum comprobavit, quam celerrime exercendum, manifestum est.

Remedium quod experientia utpote ad diathesin phlogisticam systematis tollendam, et renixum vehementem in febre Pneumonica moderandum efficacissimum indigitavit, est venæsectio.

Sanguis e brachio ægri mitti debet, et hic ægro decumbente, summo commodo elicitur.

Brachium lateris affecti præ brachio alterius seligendum est, sed sanguis ex utrovis pro situ ægri et convenientia medici mittatur. Copia detrahenda violentiæ morbi, ætati et viribus ægri convenire debet. Si morbus acerrime ingruit, si respiratio difficillima sit, et æger juvenis et temperamenti sanguinei, sanguis usque ad respirationem faciliorem factam, et ægrum inspirationem plenam sine multa molestia thoracis trahere valentem, calorem cutis plurimum imminutum, vel signa deliquii animi prodeuntia, quantitate non perpensa, mittendus est.

A medicis quibus multum fuit experientiæ observatum est, plus commodi ex his evacuationibus cum venæ maximæ brachii seliguntur, et incisiones amplæ fiunt, rivum sanguinis liberum et continuum patientes, derivari. Hoc modo copia magna sanguinis e genere vasculoso subito aufertur, cor vasaque magna celeriter jactura afficiuntur, et minus sanguinis in organum inflammatione correptum impellitur. Actio cordis simul cito minuitur, relaxatio cutis et circuitus distributio magis æqualis efficiuntur. Hoc modo progressui morbi, sine eadem quan-

titate sanguinis, ac per foramina parva, detracta, interdum obstare possumus.

Raro tamen fit quod missio una, utcunque copiosa vel quomodocunque peracta, morbum sanare possit: quamvis tussim, febrem et respirationem difficilem, detractione prima ampla sublevatas deprehendimus, symptomata eadem violentia ut antea sæpe redeunt. Si hoc etiam spatio brevi horarum trium vel quatuor post venæsectionem primam fiat, sanguis iterum et copiosissime mitti debet.

Nonnunquam accidit ut detractio secunda quam prima multo amplior sit, ægros interdum invenimus, qui ob constitutionem corporis peculiarem, missione prima, copia parva tantum elicita, ad deliquium animi proclives sunt. Rebus sic existentibus, quantitatem qua opus est ad morbum superandum non detrahere possumus. Tales ægri missiones posteriores melius quam primam tolerare inveniuntur, et hoc occasionem illas accommodandi vehementiæ symptomatum nobis præbet.

Pro viribus igitur morbi et vehementia symptomatum evacuationes per venæsectionem ex-

ercendæ et repetendæ sunt, et quo celerius perficiuntur, exempli gratia, intra diem tertium vel quartum ab initio morbi, eo efficaciores ad progressum ejusdem occurrendum, inveniuntur; sed stadio provectiore minime sunt omittendæ, et quolibet tempore, utcunque seriore, si tussis, respiratio difficilis, vires pulsus et ægri easdem postulant, sunt peragendæ.

Quod ad quantitatem sanguinis dato tempore mittendam, nullæ regulæ generales tradi possunt, quippe quæ ex ætate, viribus et constitutione ægri ad evacuationes hujusmodi sustinendas valentibus, ex toto pendet.

Si tamen æger sit juvenis et florente ætate, constitutione sana et temperamento sanguineo præditus, duæ libræ sanguinis pro missione satis magna, et minus unciis viginti, pro parva, existimentur. Pauci ægri ultra missionem librarum quatuor ad septem, intra dies primos tres vel quatuor ferre possunt, et quantitatem posteriorem tribus diebus elicitam haud raro conspexi, cum nihil præterea morbum ad finem faustum ducere valuisset.

His evacuationibus sine symptomatibus ur-

gentibus copiosissime peractis, et ob debilitatem ægri, medico hærente num plus sanguinis tutò potest mitti, hic tamen cum commodo per hirudines et cucurbitulas detrahatur. Hæ missiones speciales proxime e parte qua morbus situs est, semper sunt peragendæ.

Morbo ineunte expectoratio adest, quæ unus ex modis videtur quibus natura morbo se liberare conatur. Si febris sit vehemens, excitatio phlogistica lanceola semper est debellanda; et morbi solutio expectorationi nunquam committenda. In stadiis tantum provectis, cum consilium depletorium ad summum fuerit evectum, et cum symptomata multo meliora evaserint, expectorationi copiosæ et liberæ aliquid fidere licet.

Per dies primos expectorationi venæsectio copiosa non obstat, contra, eam promovere videtur, et morbo abeunte, ægro hoc et curatione debili et exausto, expectorationem tantum impedire videtur sanguinis missio, non tantum conamina naturæ ad materiem ejiciendam debilitando, quantum exudationi serosæ in bronchias favendo.

Consilium proximum post venæsectionem primam est canalem intestinorum contentis suis medicamentum purgans exhibendo liberare; et optimum fortasse constituit Sulphas Magnesiæ vel Sodæ in copia unciæ ad unciam et semisse unciis duodecim ad sexdecim aquæ dilutum, quæ plurimas dejectiones sæpe efficit. Si effectus oxoptatus tribus horis non infertur, quantitates parvæ solutionis sæpe sunt exhibendæ, aqua hordei ad vires earum augentes copiose hausta. Hi sales neutri plerumque efficaciter operantur, et multa aqua diluti superficiem haud parvam canalis intestinorum afficiunt, atque secretionem serosam vel aquosam ex folliculis intestinorum excitant, et sic multum partis serosæ sanguinis per alvum auferunt, molemque fluidi circulantis minuunt; ad actionem quoque cient longitudinem totam intestinorum, et hoc stimulo sanguis in arteriis et venis mesentericis superioribus et inferioribus, pariter ac in ramis magnis venæ portæ, qui plerumque languidis et debilis est, acceleratur; hoc modo plus sanguinis solito in his vasis numerosis movetur, minusque igitur ad sedem morbi im-

pellitur. Summi igitur est momenti, dejectiones duas tresve per decursum morbi indies efficere.

Cum sales neutri, num ob fastidium ægri, aliamve causam, sumi nequeunt, grana sex calomelanos cum viginti granis jalapæ in pilulas molis modicæ confecta, alvum efficacissime purgant, vel drachma pulveris compositi Jalapæ, cum vel sine paucis granis calomelanos eundem præbet effectum. Sub finem morbi, cum æger est confectus et debilis, hæc purgantia nimis sunt drastica, et olei Ricini drachmæ duæ tresve alvum satis deplent.

Simul cum sanguinis missione et catharticis jam memoratis, quodque consilium antiphlogisticum usurpare, imprimis irritationem e calore aucto genitam præcavere, oportebit: æger igitur stragulis paucis tegendus est, et, si potest fieri, conclave non ultra gradum sexagesimum Fahrenhetii calefaciendum. Potiones mites deluentes ad libitum sumendæ sunt, et hæ acidis vegetabilibus impregnatæ gratiores et utiliores evadunt.

Tartras antimonii impetum auctum cordis et arteriarum superandi magna vi pollet, et auxilium est igitur venæsectionis. Inter hoc remedium tamen exhibendum summa cura opus est. Nunquam ad vomitum plenum, et in talibus dosibus tantum quales ciere et servare nauseam perpetuam possent, excitandum, sumi debet. Hac ratione tribus modis diversis agere videtur. Primo Tartras Antimonii dosibus parvis exhibitus, adeo ut nauseam excitet, et tali copia sumptus, qualis hanc actionem servet, genus nervosum valde sedat, unde actio cordis, pulsus et magnorum vasorum sanguinem vehentium debilior fit, et generatio caloris animalis atque actionis febrilis minuitur. Sic missionem sanguinis maxime juvat. Secundo, quia natura morbum expectoratione sanare molitur, sic Tartras Antimonii, ut supra exhibitus, expectorationem e bronchiis et pulmonibus auget, congestionem localem sublevat, et terminationi morbi per resolutionem favet. Tertio, Nausea hoc medicamine illata, relaxationem generalem corporis imprimis vasorum cutaneorum in superficiem,

efficit. Hoc modo cutis soluta est, plus sanguinis in vasis ejus circulat, et congestioni internæ subvenitur.

Proxime post venæsectionem primam, et canalem intestinorum purgatum, hoc medicamentum ratione supra dicta, usurpetur, quod morbo ineunte utilius esse videtur quam abeunte, cum æger multum confectus est, et pulsus centum ictus et plures minuto horæ micat, quando medicamento magis idoneo cedere debet. Præparationes diversæ antimonii in usum venerunt, sed illa supra dicta, me judice, in hoc morbo anteponenda est.

Sub initio morbi Emplastrum Vesicatorium quam proxime parti dolenti applicandum est. Sed cum irritatio vesicatorii adest, hoc sanguinis detractionem minus efficacem reddit, et non nisi post sanguinem missum igitur est apponendum. Si morbus lenis sit, statim post primam missionem vesicatorium admoveri debet, sed si signa morbi pertinacis adsint, sanguis bis vel fortasse ter prius eliciendus est. Vesicatoria sæpius applicare necessarium sit, et rebus sic existentibus, parti alicui thoracis apponenda

sunt, partibus enim remotis applicata parum juvant. Partes vesicatas apertas servando, et vesicatorium perpetuum quod vocatur efficiendo, quam novum applicando, multo minus auxilii obtinetur.

Demulcentia mucilaginosa et oleosa tussim et muci stimulum qui irritationem ciet levando, utilia sunt. Mistura constans ex unciis tribus mucilaginis Acaciæ Arabicæ et tribus aquæ, cui adjiciatur drachma Vini Antimonialis et Tincturæ Opii ad tussim et irritationem levandum plurimum inservire invenitur: vel mistura mucilaginosa cum pauxillo Aceti Scillæ et Tincturæ Hyosciami ad tussim sedandam et expectorationem promovendam fere eodem modo inservit. Vaporem aquæ calidæ aceto impregnatæ inhalare utile quoque reperitur.

Cum non obstantibus omnibus modis recensitis, finis per resolutionem haud adipisci possumus, et morbus per plurimos dies perstiterit, valetudine ægri multum confecta, dyspnœa et tussi manentibus, cum decubitu difficili in latus sanum et febre hectica, simul si pulsus ex ictibus centum et decem ad centum et viginti mi-

nuto horæ numeratur, et si dubium sit vires plus sanguinis necne modo speciali vel generali detrahi sinunt, Digitalis, hoc facto, actionem cordis et arteriarum, et igitur inflammationem et irritationem localem minuendo, bonum habebit effectum. Rebus sic existentibus, Digitalis tanta copia vel sub forma tincturæ vel pulveris, quanta actionem generis vasculosi manifeste afficiat, exhibeatur.

De usu opiatorum in inflammatione Pulmonum inter medicos non convenit. Ineunte morbo, et ante remissionem morbi venæsectione aliisque remediis validis effectam, opiata nocere videntur. Stadio tamen provectiore cum respiratio facilior est, et cum signum acerrimum est tussis, quæ causam præcipuam constituit doloris et vigilii, opiata summo cum commodo et incolumitate usurpentur.

FINIS.